



SAN JUAN DIEGO  
24 OTTOBRE 2001

## IESUS:

Vos Non Repraesentatis Me... vos pudere oporteat.  
EGO NESICIO VOS!

Epistula publica Conchiglia

ad Suam Sanctitatem Papam Benedictum XVI  
ad Sacerdotes, Episcopos et Cardinales  
ad viros religiosos mulieresque religiosas

ad Praesidem Rei Publicae Italicae Georgium (Giorgio) Napolitano  
ad eos qui Rebus Publicis Orbis praesunt  
ad omnes fratres et sorores...

Prot. 09.192 – 29.11.09  
Dominica Prima Adventus  
Raccomandata R.R.

**Caro Papa Benedicte XVI,**  
Sacerdotes, Episcopi et Cardinales  
Religiosi et Religiosae,

Praeses Rei Publicae Italicae Georgi Napolitano  
Vos qui praestis Rebus Publicis Orbis  
Cari fratres et sorores...

propter Voluntatem Iesu vobis hanc Revelationem mitto

**Die XXIX novembris anno MMIX - 23.10 – Iesus ad Conchiglia**  
Dominica Prima Adventus

“ EGO SUM.

*Iesus sum, Conchiglia... Deus tuus Amoris  
et propter amorem Verba Mea Humanitati dono.*

*Verba Veritatis quae sicut novaculae acutae intrabunt, ut semper fit, in carnes hominum.*

*Qualem dolorem afferent Verba quae dicturus sum.*

*Sunt Verba quae intendunt dilucidare ubi est confusio.*

*Sunt Verba quae intendunt dividere filios Dei a filiis hominum.*

*Ergo attendite quomodo haec Verba audiatis.*

**PRAESERTIM VOS SACERDOTES...**

*omni enim Fidem habenti dabitur Lumen ad intellegendum ab eo autem qui Fidem non habet...  
et lumen parvum quod sibi videtur habere, auferetur.*

**EST AUTEM VOBIS VALDE NOTA MEA INTOLERANTIA TRANSACTIONIS!**

**Propterea responsalitatem iniungo omnibus nunc legentibus  
lecturisquae haec Verba**

*ut quisque sua sponte studeat referre haec Scripta  
usque ad Altos Vertices Ecclesiae adque Papam  
et usque ad Altos Vertices Nationum adque Rectores omnis Civitatis.  
Conchiglia...*

*adhuc invoca Spiritum Sanctum.*

*Ecce, filii Mei fratresque Mei...*

*incipio exemplum sumendo etiam a vestris modis agendi  
ad res omnibus explanandas.*

*Omnis area socialis publica et privata habet auditores in ambitu suo.*

*Exempli gratia... si Administer Salutis*

*intendit ordinare et innovare in ambitu Salutis*

*alloquetur homines pertinentium Administrationum curatores*

*omnesque Medicos omnis ordinis gradusque...*

*usque ad Infirmarios et Praepositos purgationibus.*

*Ita et in Re Industriali... in Re Mercatoria et cetera.*

*Ergo et Ego alloquar veros filios fratresque Meos*

*et necessarie oportebit Me selectionem facere*

*atque dividere filios Dei a filiis hominum.*

*EGO VENI IUDICARE HOMINES*

*ut filii qui amant me maiorem Lucem et cognitionem recipiant*

*utque illi qui dicunt se amare Me...*

*qui autem solum sibimetipsis fidunt nec Deo ideoque haud humiles sunt,*

*nihil recipiant neque intellegant haec Verba quae etiam ad eos spectant.*

*Maria Mater Mea est Quae Est.*

*Et sicut Ego Sum Rex Universi... Ipsa est Regina Universi!*

*Ego et Maria ad repraesentandum Vultum Masculinum et Femininum Patris in Terra.*

*Ego in Essentia... Pars Masculina Patris*

*Maria in Essentia... Pars Feminina Patris.*

*Maria caput conteret Satanae*

*obsequio voluntario ancillae Suae Conchiglia.*

*Interea propositio quae ad quaestionem postulat responsionem.*

*Cur, sentiā vestrā, Mariam caput Satanae sub pede Suo conterere oportebit?*

*Estne « caput » tantum symbolismus quidam?*

*Cur autem non totum corpus vel ceterae partes corporis Satanae?*

*Ecce responsionem: vis Satanae non est in corpore suo.*

*Corpus Satanae, qui est Malum essentialiter,*

*corporaliter repraesentatur ab asseclis suis,*

*a missis suis... qui, tamquam ille, constituerunt*

*repugnare Proposito Creationis Hominis.*

*Propterea moneo vos quod Animae a Deo creatae, Initio erant omnes aequales.*

*Cuique datum est dono liberum arbitrium.*

*Ex his Animabus est qui elegit non incarnari*

*velleque laudare Patrem in perpetuum.*

*Est qui elegit incarnari ad facienda opera bona.*

*Est qui elegit incarnari ad impugnanda opera bona faciendo malum.*

*Est qui elegit non incarnari*

*ad succurrendum et adiuvandum Animas in bono sorores.*

*Est qui elegit non incarnari*

*ad succurrendum et adiuvandum Animas in malo sorores.*

*Nam satanistae diabolum angelosque rebelles avosque damnatos invocant*

*cum autem filii Dei Deum per Mariam invocent  
et Angelos Lucis avosque Sanctos invocent.  
Ergo iterum dico:  
cur, sententiā vestrā,  
Mariam « caput » Satanae sub pede Suo conterere oportebit?  
Caput, in Satana, symbolismus est quoniam Satana Malum in Essentia repraesentat.  
In « capite », corporaliter-materialiter...  
est cerebrum quod est sedes Rationis... Cogitatūs.  
Cogitatus esse potest aut creator, eo quod a DEO, aut destructor, eo quod a Satana.  
Omnis Cogitatio bona aut mala ex hominis scatet interioritate...  
ex Anima eius  
secundum optionem primordiale cuiusque Animae  
antequam in Terra incarnaretur.  
Satana agit per Cogitatum  
deinde Cogitatus imperat actiones faciendas... corpori  
ut actiones quaedam malum materialiter perficiant.  
Cerebrum est tamquam motorium autocineti.  
Sine motorio autocinetum non movetur.  
Secundum autoraedarium autocinetum iter suum percurret  
aut ad perveniendum in metam certam cum debita diligentia et prudentia  
aut deerabit et damnose in fossam peribit.  
Ergo Maria, propter humilitatem in Deum Patrem amoremque in homines, non utetur  
ullius generis vi aut coercitione.  
Maria utetur explicatione per Verbum exemplaue sancta.  
Maria conteret Satanae caput filios suos ratiocinari faciendo  
pro quibus dolorem in pretium pependit in Morte Filii qui Ego Sum.  
Maria in puncta temporis per Vitam Suam exemplaue Sua  
intendit docere vos sicut docuit Me Filium Suum in Terra.  
Magnitudo Mariae vobis non est imaginabilis!  
Sine FIAT Mariae incarnari in Terra non potuissem.  
Sine Fiat ancillae Eius Conchiglia...  
vos docere non potuissem per haec Verba...  
per Spiritum Sanctum qui DEUS est.  
Spiritus Sanctus est Manifestatio Dei in Re Invisibili  
quae vertitur in visibilitatem  
in has lineas scriptorum  
et in audibilitatem cum legitis magna voce dicentes haec Verba  
quae sunt tuba DEI... vox DEI qui omnes Suos veros filios colligere intendit.  
Per haec Scripta  
quae MAGNUM LIBRUM VITAE repraesentant  
DEUS per Me et Mariam...  
intendit dissolvere singulis rebus doctrinas maleficas Satanae  
detegendum eum qualis ipse vere est:  
affectator destructionis totius Humanitatis  
omnisque animantis a Deo creati in omni loco Universi.  
Etenim non estis soli in Universo!  
Sed est qui normis benignis DEI oboedivit  
et est qui rebellavit... qui Peccatum Originale fecit  
efficiens inordinationem et mortem in Orbe Terrae.  
In verbo « inordinatio » oportet dispicere etiam verbum « ordinatio ».*

*Verbum « inordinatio » est dividendum: « in-ordinatio ».  
Inordinatio evidetur cum res in se ordinatae... suo loco non sunt...  
dissipatae ubi esse non debent... permixte coacervatae.  
Ecce autem Ego Iesus et Maria... in Temporibus a Patre statutis...  
venimus ad recipiendos filios Nostros qui in errore vivebant...  
in inscientia Veritatis  
propter Peccatum Originale a Primo Viro commissum.  
Terra igitur videtur esse, sicut iam pridem ad Conchiglia dictum est...  
ovis deerrans Universi atque, eo quod deerans,  
adiuvanda et ducenda est ad « Gregem Universum ».  
Nunc ad verbum « Uni-versum »,  
quod « Gregem DEI » Creationem Suam repraesentat...  
addo aliud verbum: « Multi-versum ».  
In « Multi-verso » sunt:  
aliae dimensiones... alia spatia... aliae Creationes... aliae realitates.  
Atque etiam « Multi-versum »... in se a DEO continetur.  
Conamini paulo adlaborare  
ut intellegatis, quam optime potestis, id quod dixi.  
Scio hoc haud facile esse sed initium est.  
Omnia ab initio quodam discuntur...  
sicut cum parvuli alphabetum scribere didicistis... alpha = initium.  
Omnes oportet vosmetipsos parvulos agnoscere nec superbire.  
quoniam sicut bene animadvertere potestis nihil nostis de Veritate DEI.  
Aliqui vestrum iam surgunt ad dicendum se multa nosse.  
Quid, filii... etiam ante evidentiam non ceditis?  
Superbia vestra immensa est.  
Dicitis vos multa nosse...  
tamen pervenistis ad huiusmodi turpitudinem quae est inaudita.  
Ab Ascensione Mea... per duo millia annorum...  
quid boni pro Animabus vestris ac in Terra effecistis?  
Audio vos dicere:  
vide quam multa opera mirabilia, Domine...  
vide hortos... aedificia... opera arte facta... inventa  
libros... scientiam... pulchritudinem corporum exornatorum.  
Ecce, nunc inimus...  
ab **hortis**:  
quid boni fecistis? Horti sunt DEI... Creatio Sua.  
Vos non valetis creare ne unam quidem festucam minusculam  
ne unum quidem granum pulveris... ex nihilo.  
Tantum coniunxistis aliqua genera herbarum iam a DEO creatarum.  
De **aedificiis**:  
sine materia qua opus est ad faciendum laterem  
nihil efficere potuissetis.  
Denique laterem lateri tantum superposuistis  
et serius ocius omnia corruent sicut iam corruerunt  
et adhuc corruunt in universo mundo.  
De **operibus arte factis**:  
pulchra! Ipsa autem repraesentant id quod DEUS iam creavit ac vivit  
cum opera arte facta sine vita sint... mortua sint...  
quoniam picturae et statucae non moventur... idola sunt.*

**De inventis:**

*pauca illa quae invenistis  
commodum exiguum effecerunt, multam autem perturbationem et iniustitiam.  
Invenistis res quas oportebat levare vos aliquanti operis et laboris  
eo ut darent vobis tempus consumendum in oratione...  
in recogitatione... in gratiarum actione erga DEUM.  
Tamen illud tempus reliquum adhibetur in rebus vanis ac delectamentis illicitis.*

**De libris:**

*bene! Nonnullos eorum ne existere quidem oportet.  
Narrant atrocitas... blasphemias... turpitudinem... pornographiam et mendacium.  
Alia bona sunt... narrant vitam et exemplum filiorum Dei  
quos appellatis Sanctos.  
Et ipsam Memoriam Meam illamque maiorum Meorum in Terra.  
Sed nihil aliud scriptum est quam id quod alii effecerunt  
cum vita sua operibusque suis.*

**Nihil vestrum est!**

**Ceterum de eo quod Meum est et a Me volitum...**

**Episcopus quem nostis obstat ne libri edantur.**

**Vestrum sit disserere et colligere de hoc.**

**De scientia:**

*quid invenistis?  
Scientia non est res inventa et effecta.  
Scientia est ianua patens in « MULTIVERSO »  
ut ex Voluntate Dei aliquantulum possitis aspicere limis  
et cognoscere id quod a saeculo est.  
**LINGUAM VESTRAM RETUDI!***

**De corporum formositate:**

*nolite decipere vosmetipsos putando quod, siquidem formosa corpora exornata habetis,  
culmen formositatis a DEO creatae consecuti estis.*

*Ut corpora sint formosa in integritate sua Animarum imaginem remittere debent.*

*Nisi Animarum pulchritudinem reperiunt corporatio fluxa est  
et scitis corpora aliquanto post veterascere...  
deformari et mori.*

*Etiam Mater Mea Maria ad aetatem venerandam in Terra pervenit  
atque licet pulcherrima semper, talis equidem non erat tamquam in iuventa sua.  
Ergo, ut repetam... qualiter existimatis nunc... vosmetipsos?*

*Nunc de vitiis vestris dicimus?*

*Omnibus de hoc dico sed praesertim Ecclesiam Catholicam alloquor.  
**VOS, PRINCIPES ECCLESIAE SOCIETATIS MUNDIALIS SPECULUM ESTIS.  
SIQUIDEM HUMANITAS QUAM VOBIS IN CUSTODIAM TRADIDI  
PERVENIT AD HANC CONDICIONEM  
DEGRADATIONIS MORALIS, IN HOC VALDE NOXII ESTIS.***

*Ii quibus erat sequendum et faciendum id quod eheu...*

*etiam vi et iniuria et dolo*

*praecepta vestra propagaverunt,*

*sane ad imitationem vestram hoc fecerunt:*

*falso testimonio... cum avaritia... cum luxuria...*

*cum gula... homicidio... cum superbia et cum ignavia.*

*Omnes Sacerdotes qui tales facti sunt*

*non ex Vocatione Mea sed propter sua proposita et utilitates...*

*in his vitiis capitalibus vivunt.*

*SACERDOTES QUOS EGO VOCAVI ADQUE ME PERTINENT  
SUNT HOSTIAE VESTRAE  
ET SINCERI AMATIQUE SERVI MEI  
ET EGO AMO EOS ET CUSTODIO EOS... ET EXTOLLO EOS AD PATREM MEUM  
QUONIAM SIMILES MEI SUNT IN AMORE...  
IN OPERIBUS ET IN CARITATE.*

*Huic filiae Meae Conchiglia ostendi...  
omnia quae fecistis ab Ascensione Mea  
usque hodie eique dixi: SCRIBE OMNIA.  
Tamen ipsa genuflexit cum corde suo Mihique dixit:*

*« Non possum, Iesu. Nimis amo Sacerdotes. Si omnia scribam, mei fratres sororesque qui legent...  
voment propter fastidium super has paginas quas scribo inter tot tribulationes ac dolorem et corporis  
et cordis. Oro te, Iesu, concede postulationi meae quae Veram Ecclesiam Tuam protegere et aedificare  
desiderat, quoniam parvuli et simplices nimis offendantur. Iam multitudo filiorum fratrumque tuorum  
non intrat in ecclesias, Iesu... et suspicione spectant etiam illos paucos Sacerdotes qui Te amant  
fidelesque in Te supersunt. Te posco, o Iesu mi, ut adhuc Misericordiam adhibeas nec dicas singulas  
res quoniam nimis obscenae sunt... turpes et inhonestae... et acerbae.  
Pro certo habeo, o Iesu mi, quod filii Tui... illi quos amas, recte intellegent et simul Malum non  
evulgabitur gratis. O Iesu mi, in Sanctas Manus Tuas inque Voluntatem Tuam omnia committo  
Sanctam debitamque Iustitiam ad Gloriam DEI. »*

*Scitote igitur quia accepi  
eius intercessionem amoris pro omnibus vobis Sacerdotibus  
neque eam cogam ad scribendum omnia malefacta vestra quae nunc... admodum novit!  
Multa sunt Nomina Praeclara ad quae alloquor, ipsa non scribente ea.  
Ecclesiae est Protectio Mea et Satana non praevalebit adversus Eam.  
VOBIS AUTEM... EX HOC DIE PROTECTIO MEA ULTRA NON ERIT!  
HODIE VOS DEFERO AD PATREM MEUM  
EIQUE NOMINA VESTRA SINGILLATIM INDICO.*

*Ipsa nunc Ius dicet  
quoniam non potest esse pax et concordia ubi Iustitia non est.  
Exigo igitur...  
UT OMNES SACERDOTES PAIDOPHILI  
ET QUI EOS EXCUSAVIT AUT PROTEXIT...  
EXEANT AB ECCLESIA DEI. EĀ NON SUM DIGNI!  
OMNES FURES ET ARDALIONES... FORIS!  
HOMOSEXUALES... FORIS!  
IIS NON LICET TANGERE ME POSTQUAM ALIUD TETIGERUNT.  
HOMICIDAE AUCTORESQUE HOMICIDIORUM... FORIS!  
MERCATORES TEMPLI...  
QUI DIVITIIS ECCLESIAE ANTIQUAE UTUNTUR  
LUCRI CAUSĀ... FORIS!  
MINISTRI DIABOLI... FORIS!  
INOBOEDIENTES EVANGELIO... FORIS!  
VOS NON REPRAESENTATIS ME  
ET NE MINIMA QUIDEM IURA HUMANA OBSERVATIS ...  
IN PAUPEREM ET EGENUM.*

*Omnia oportet vos vendere ad satiandum etiam ultimum parvulum filium Meum*

*qui perit fame... frigore et laboribus.  
VOS PUDERE OPORTET.  
EGO NESCIIO VOS!"*

MOVIMENTO D'AMORE

**C**are Papa Benedicte XVI,  
Sacerdotes, Episcopi, Cardinales  
Praeses Georgi Napolitano  
Orbis Civitatum Rectores  
cari fratres et carae sorores in Iesu et Maria,

**ecce... ego dixi vobis.**

Deus benedicat vos  
et Divina Maria, Nostra Domina Guadalupiana vos protegat  
in Nomine Patris 

Matris 

et Filii 

et Spiritus Sancti. 

Amen.



*Conchiglia  
della Santissima Trinità*



**ADNOTATIO**

*Conchiglia della Santissima Trinità  
Movimento d'Amore San Juan Diego*

*latine  
latine*

*Concha Sanctissimae Trinitatis  
Consociatio Caritatis Sanctus Ioannes Didacus*